

num statum non essent necessariae, nefas est. Si gens victa adeo esset pervicax ut nulla adsit securitas pro natione victricæ quamdiu illa independens remanet, juste posset hac independentia privari et alterius ditioni subijci.

EXPLICIT ETHICA.

HISTORIÆ

PHILOSOPHIÆ

SYLLABUS

Origo philosophiæ potest considerari quoad ordinem possibilitatis et quoad ordinem realem et historicum. 1<sup>o</sup> Si de origine juridica quæras, facile reperies rationem humanam, quæ, non secus ac res omnes, ad se perficiendam necessario nititur, non posse diu agere quin ad rerum notitiam magis ac magis perfectam, seu ad earum cognitionem per causas, deveniat : hoc modo spectata, philosophia haberetur ut naturalis evolutio rationis humanæ multis gradibus ascendenti a rerum sensibilibus cognitione ad eorundem causas proximas et remotas ; philosophia ergo, etiamsi homo sibi derelictus fuisset, diu desiderati non potuisset ; et hanc veritatem negare idem est ac inficari rationem humanam esse vim quandam naturalem ad cognoscendum ordinatam.

2<sup>o</sup> Si de factò ipso quaeramus, revelatione et ratione constat primum hominem divino beneficio philosophia simul et theologia imbutum fuisse. Deus non potuit primum hominem non instruere cognitionibus tum ad propriam perfectionem, tum ad progeniem rite edocendam necessariis ; sed in ambitu illarum cognitionum protoparenti necessariorum ad proprium munus patris poragendum et ad finem attingendum, certo continentur quædam notionès philosophicæ. Præterea historia philosophiæ nobis exhibet in temporum exordio disciplinas naturales ipsi theologiæ implexas, ita ut sub tutela revelationis ab initio appareat philosophia.

Qua de causa, historia philosophiæ dum varias scholas

enumerat, diversaque systemata refert, non constanter nobis exhibet lentum progressum ex sola industria humana partum, sed quandoque subitaneas evolutiones ope luminis supernaturalium revelationum effectas. Quamobrem agemus 1<sup>o</sup> de philosophia ante adventum Christi, seu ante revelationem christianam; 2<sup>o</sup> de philosophia postquam reuixit super mundum christiana reuelatio. Hæc omnia quam paucissimis absolvemus : de indiculo enim qui vices præcipuas philosophiæ inuauit, hic unice agitur.

### SECTIO PRIMA.

#### DE PHILOSOPHÆ HISTORIA A MUNDI INCUNABULIS AD SALVATORIS USQUE ADVENTUM.

In hac prima epocha philosophiam partiemur in orientalem et occidentalem.

##### § I. — Philosophia vetus orientalis.

Philosophia orientalis diuiditur pro ratione nationum quæ eam acriori studio excoluerunt : aliam enim querere divisionem, præsertim ex analogia vel discrepantia systematum, ut conantur aliqui recentiores, esset labor plus quam inutilis, ac inanes cogitationes et figmenta volvere; hujus enim epochæ philosophi quasdam veritates referunt, sed in innumera devia hinc et inde aberrant, quin ullo pacto inter se conveniant. Sic breuiter considerabimus 1<sup>o</sup> philosophiam Indorum; 2<sup>o</sup> philosophiam Sinesium; 3<sup>o</sup> philosophiam Assyriorum, Ægyptiorum et Phœnicum.

##### 1. Philosophia Indorum.

Philosophia indica in triplicem a nonnullis dispesci solet partem, scilicet in philosophiam orthodoxam, semi-orthodoxam et heterodoxam; agitur de orthodoxa ad normam quorundam librorum sacrorum recenti auctorum qui Vedas dicuntur.

1<sup>o</sup> *Philosophia orthodoxa*, seu Mimansa, exordium ducit a reuelatione; ejus enim objectum est interpretatio librorum sacrorum, seu Vedarum, ac proinde hæc philosophia tota est in determinando sensu reuelationis.

Fundator hujus scholæ interpretationis est *Djainini*, qui sæpe in libris Soutras citatur. Philosophia Mimansa post quasdam disputationes psychologicas et logicas probare conatur æternitatem Vedarum, seu authenticam esse reuelationem quam continent libri sacri.

Nomen proprium partis theologicæ Mimansa, est Vedanta, seu conclusio aut finis librorum Vedas. Mimansa ergo est nomen genericum hujus scholæ, et præterea est Mimansa theologica, Mimansa politica. Hæc philosophia docet Dei unitatem, animæ spiritualitatem, etc.

1<sup>o</sup> *Philosophia semi-orthodoxa*, seu Sankhya, in libris Sankhya continetur : primus liber vocatur generatim Karika, qui est poema ex versibus Karika conflatum; isti versus constituunt quoddam genus poësis in lingua sacra Indorum. Hoc autem poema cujus origo est plane incerta, alicui auctori, nomine *Kapila*, tribuitur, sed hoc nomen probabilius est *Uvêdi*; *Svœza* a vero auctore usurpatum.

Præter philosophiam Sankhya-Karika, alia existit doctrina Sankhya, quæ sub nomine Yoga-Soutra designatur. Libri, in quibus continetur hæc doctrina, vocantur Sankhya-Pravatchana, atque philosopho *Patanjali* tribuuntur. At de hoc auctore, idem ac de *Kapila* dicendum est.

Philosophia hæc vocari potest semi-orthodoxa quia aliquantulum liberos sacros Vedas deseruit, ut rerum contemplationi liberius vacaret.

3<sup>o</sup> *Philosophia heterodoxa seu Nyaya*. Liber Nyaya, qui auctorem habet *Gautama*, est quidam tractatus dialecticæ seu logicæ, cui adjungitur collectio aphorismorum seu *Soutras*, a *Vyasa* in lucem educta. Datur alterum systema doctrinæ Nyaya quod vocatur *Vaikechika* : constituit quamdã philosophiam atomisticam, quæ est veluti aliqua tractatio scientiarum physicarum et naturalium. Auctore hujus ultimi systematis Nyaya est *Kanada*.

De philosophia indica apud veteres fama atque existimatio fuit, ita ut qui sapientiæ cupidi erant, præsertim ex Græcis, necessarium sibi ducerent ad Indos excurrere.



Quoad tempus quo prodierunt superiora laudata systemata, recenter evulgata, et, ut opinor, eusa, nihil certi reperitur apud diversos auctores. Etsi Strabo, Plutarchus, Clemens Alexandrinus de religione, moribus et philosophia Indorum, multa nobis referant, tamen de libris et auctoribus hactenus recensitis nihil dicunt: imo non desunt in istis libris indicia intrinseca minime ambigua recentioris ætatis.

Ad veteres philosophos Indiæ quod attinet, scimus illos quoad partem dogmaticam, docuisse 1<sup>o</sup> Deum esse unicum, creatorem et administratorem universi; 2<sup>o</sup> animam, origine coelestem, esse spirituales, sed corpore indutam tantquam vestimento. Quoad partem moralem, docebant alteram vitam felicem iis qui recte philosophati sunt, quique multa exercitatione se ad mortem assidue preparati sunt.

#### II. Philosophia Sinesium.

In remotissima etiam antiquitate, philosophia apud Sinesium viguit atque splendide emittit, opere in primis *Ki-Tseu*, qui ante Christum ann. 1100 floruit. *Lao-Tseu*, qui annis circiter 600 ante Christum vixit, sapientiam Sinesium perfecit suamque doctrinam libris qui adhuc exstant, sed non uno in loco interpolati, mandavit. *Confucius*, qui 50 annis post Lao-Tseu inelavit, aliam scholam fundavit, quæ adhuc etiam permanet. In disciplinam moralem potius incubuit: Deum unum ac supremum profiteatur. Inter discipulos Confucii annumerantur *Tseng-Tseu* et *Meng-Tseu* sub nomine Mencii cognitus: hujusce ultimi liber una cum libris Confucii quatuor libros scholares (*Sse-chou*) efformat.

#### III. Philosophia Persarum, Assyriorum, Ægyptiorum et Phœnicum.

I. Inter philosophos Persarum eminet *Zoroaster*, qui avari Darii Hystaspis filii, vivebat: suam doctrinam carminibus suis celeberrimis, quibus titulus est *Zend-Avesta*, mandavit. De primis causis *Zoroaster* hæc dogmata refert: Ex tempore, quod est ens æternum, profluxerunt duo principia, scilicet principium omnis boni, *Ormuzd*, et principium mali, *Ahriman*; ab *Ormuzd* condita fuerunt cælum et terra, ab *Ahriman*, tenebræ. Quoad moralem, cultum

ignis, cui jam vacabant Persæ, *Zoroaster* novis firmavit institutis.

II. Inter philosophos Chaldaeorum computandus est *Berosus*, qui tempore Alexandri Magni viguit, atque Græcos astrologiam docuit, necnon aliquam edidit cosmogoniam. Solem et lunam ac sidera Chaldæi divino cultu prosequantur, qui ceteroquin unitatem Dei agnoscebant.

III. Origo philosophia apud Ægyptios a *Thot Trismegisto* repetitur, qui a Græcis, Hermes, a Latinis, Mercurius vocatur. Philosophorum Ægyptiorum duplex est theologia: vulgaris una seu *ecoterica*, altera mystica seu *esoterica*; prior cultum divinum fœdissimis animalibus decernit, altera multas veritates de Deo et anima humana referebat.

IV. Tandem quoad Phœnicos, licet *Sanchoniaton* rebus historicis magis quam philosophicis operam impenderit, inter philosophos tamen jure annumeratur; tractavit enim de origine mundi seu cosmogonia systema edidit.

#### § II. — Philosophia occidentalis.

Incunabula philosophiæ in Oriente fuerunt. Sed ex Oriente philosophia actum migravit in Occidentem, in quo præsertim sub ingenio græco rationalibus disciplinis proclivi ita mentes distinxit ut sapientia græca oblivioni omnes scholas anteaerum dederit.

Adhuc ergo disputandum est de philosophia occidentali ante propagationem fidei catholice; leviter tamen attingemus varia systemata, seu delineabimus, ut ita dicam, varias scholas, quæ ceteroquin inter se sæpe non differunt nisi quia alias ineptias et absurditates congerunt.

Philosophia occidentalis ante diffusionem religionis christiane, seu antequam fuisset Christianismo imbuta, ac proinde ad gradum longe perfectiorem proveccta, potest dividi in philosophiam Græcam et Græco-Romanam.

##### I. De veteri philosophia græca.

Hujus philosophiæ præcipuas scholas enumerabimus, quarum characterem proprium conspiciemus.

I. ANTE SOCRATEM quatuor sunt notiores scholæ: ionica, italica, eleatica et sophistica.

1<sup>o</sup> *Ionica*. — *Thales* (600 ante Christ.) postquam celebrissimas orbis plagas peragrasset ad philosophiam discedam ad consulendos homines scientia nobiles et claros, scholam ionicam fundavit. Non modo magna scientia et doctrina pollere perhibetur hic philosophus, sed etiam virtutibus civilibus; unde inter septem Græciæ sapientes connumeratur. Erat scientiis physicis, pro ratione suæ ætatis, consultissimus: sua enim ratio philosophandi ideo erat ut naturæ spectabili contemplandæ maxime operam conferret: mirum ergo non est illum fuisse empirismo propensiores. Mundum concipiebat velut ens vita præditum quod ad modum animalis sese evolveret; germen mundi, sicut et omnium viventium, juxta ipsum, est aqua, quæ cum sit elementum quoddam humidum et instabile, sese sponte naturæ in mundum evoluit. Est ergo systema aliquod dynamicum.

Thaleti successit *Anaximander*, pariter Milesus, qui docebat infinitum (*ἄπειρον*) esse principium mundi: quid per infinitum intellexerit, prorsus incertum est. Tamen ejus discipulus *Anaximenes* docet illud infinitum esse aerem, qui est ipse Deus (1).

Inter scholæ ionicæ philosophos, saltem ratione patriæ, annumerari potest *Heraclitus* Ephesius (500 ante Christ.). Ejus doctrina est ut in igne videat principium et substratum omnium rerum: opinabatur etiam animas et dæmonia, quibus mundus impletur, ignis naturam habere.

2<sup>o</sup> *Italica scholæ* initium dedit Pythagoras (500 ante Christ.), qui post longinquas peregrinationes Italiam apulit, atque Crotoni non tantummodo gymnasium adaperuit, sed etiam quamdam societatem rigidissimam fundavit, in quam nemo coaptari poterat nisi post longum tirocinii seu probationis tempus. Conditio enim præcipua hujus novitatus in eo erat ut altum silentium per plures annos servaretur. In duplicem ergo classem partiebantur Pythagoræ discipuli; nonnulli enim erant qui, peracta

1) Diog. Laert. II, 3.

probatione, veluti solemniter adscripti erant, ac proinde loqui poterant; aliis tirocinium peragentibus loquendi potestas non impertiebatur. Huic duplici alumnorum classi non eadem tradebatur disciplina, quæ propterea duplex erat, *esoterica* seu publica una, et *esoterica* seu privata altera, quæ initiatis tantum perhibebatur.

Pythagoras autem acriore præditus ingenio ab empirismo ionico se exsolvit; in spiritualismum magis inclinans, rationalismo et idealismo maximopere indulisit. Mathesim, cui maxime se tradidit, magno cum profectu excoluit. Quoad doctrinam specialem scholæ pythagoricæ, vix aliquid certi determinari potest. Docuisse creditur numeros esse principia rerum, necnon Deum, qui, juxta ipsum, est numerus simplex et monas, esse purum spiritum in omnibus mundi partibus effusum; melesmopychosim etiam professus est.

*Empedocles* Agrigentinus (460 ante Christ.) sibi proprium systema finxit: docebat expresse quatuor dari elementa mundi sensibilis, terram, aquam, aerem et ignem, in hoc ultimo ponebat principium vitæ. Mundum, quem habebat ut emanationem unitatis divinæ, distinguit in sensibilem, *κόσμος αἰθέριος*, et intelligibilem, *κόσμος νοητός*, prioris typum.

3<sup>o</sup> *Scholæ eleatica*. — *Xenophanes*, patria Colophonus, qui ante Christum circa annum 530 floruit, hanc novam scholam fundavit. Ad origines rerum vestigandas potius incumbens, ideoque empirismo ionico atque idealismo Italico utens, ultra tamen progredi voluit, ac de omnibus rebus existentibus rationem reddere conatus est. Deum cognoscebat, quem tamen cum ipso mundo ita permiscebat ut Deum et mundum in unum et idem redigeret: in rerum igitur pantheismum lapsus est, hoc principio innixus: quidquid est, semper fuit, quia ex nihilo nihil fieri potest (1).

Deo formam sphericam tribuebat, quia hæc forma omnibus cæteris perfectior est. Negat itaque mundis contingentiam et multipliciter rerum; una tantum existit vis dynamica, Deus vocata, quæ multipliciter sese dif-

(1) Arist. Metaphys. I. c. 5.



fundit et manifestat, et præterea locum dat omnibus phaenomenis tum internis, tum externis. Quatuor dari elementa tradidit. Eleatici cognitionem explicabant per atomos seu emanationes rerum quarum ideæ erant imagines, seu εἰδῶλες; quæque atomi organa penetrantes ad animam usque perveniebant.

*Parmenides*, Xenophanis discipulus, et *Zeno* Eleaticus pantheisimum schola Eleatica, prior carminibus, alter obscuris, et non raro pugnantibus dialecticæ subtilitatibus, docuerunt. Hic ultimus plura et quidem putida adhibuit argumenta, quæ tamen apud Græcos erant celeberrima, ad motum localem quemcumque negandum. Habetur ut parens dialecticæ, qua usus est ut viam stererneret scepticismo.

Alii Eleatici physica magis quam metaphysicæ operam contulerunt: *Leucippus* (450 ante Christ.) quemdam materialismum invexit, et mundi existentiam formamque ope trium explicabat, nempe per atomos seu elementa indivisibilia, spatium vacuum (τὸ κενόν) et motum. *Democritus* Abderites (490 ante Christ.) tandem philosophiam atomisticam coluit, et præterea, quoad partem moralem, docuit felicitatem hominis consistere in perfecta animi quiete nullo affectu perturbata.

4<sup>o</sup> *Schola sophistica*. Hæc varia scholarum præcedentium systemata inter se opposita, quorum alia philosophiam tradebant declivem in empirismum Ionicum, alia in rationalismum mysticum Pythagoræ, alia tandem in rationalismum magis exultum et profundum Eleaticorum, dubium, incertitudinem genuerunt: inde in innumeras et inanæ disputationes deflexit philosophia. In sophisticam ergo degeneravit, quæ veteris philosophiæ principia plus minusve diruebat; sed fuit impar ad quamcumque scientiam extruendam, seu ad novam disciplinam veteribus systematibus sufficiendam. Ex numero sophistarum celeberrimi fuerunt *Protagoras* et *Gorgias*. *Gorgias*, Leontii, Siciliæ urbis, natus (440 ante Christ.), Athenis dialecticam tradidit, et de re quamcumque pugnantia seu contradictoria obtinere gloriabatur. Eodem tempore *Protagoras*, Abderites, eloquentiæ fama Athenis illuxit: docuit cognitionem humanam esse mensuram

omnium rerum. Hæc schola, licet sapientius in vanas prolapsa disputationes, aliquid tamen contulit scientiis philosophicis, eo quod ineptias omnium doctrinarum præcedentium detexit errorosque magis patefecit.

II. *SOCRATES*. qui, a *Tullo*, philosophiæ parens vocatur, Athenis illuxit (470 ante Christ.). Ea omnia quæ pertinent ad ejus genus, vitam et mores, non quidem semper philosophicos, omnibus nota sunt, et propterea non est cur in his referendis immoremur. Hic philosophus considerans ex una parte quantopere increbuisset sophistarum impudentia et audacia, inde et scepticismus, et ex altera parte persentiens inanitatem doctrinarum a veteribus scholis traditarum, philosophiam revocavit ad disciplinam qua traderetur norma honeste vivendi: scientiis ergo moralibus magis addictus fuit, et virtutum moralium, prudentiæ, temperantiæ, etc., praxim assidue commendavit. Deum supremum, fontem totius ordinis moraliis et ab universi concordia et unitate manifestatum, obsequii nostri, cognoscebat; tamen, instante morte, Esculapio gallum sacrificavit. Immortalitatem animi etiam docuit.

Ex Socrate variae exortæ sunt scholæ, quæ, sectis academica et peripatetica, ad quatuor revocari possunt.

1<sup>o</sup> *Cyrenaica* secta auctorem habuit *Aristippum*, qui ex nobilissimo genere ortus, in prima sua juventute totum se libidibus dedit; sed deinde a Socrate correptus, philosophiæ operam dedit, aliquid tamen veteris vite retinens: inde bonum collocavit theoretice in voluptatibus sensualibus: criterium veri et falsi repositum in affectionibus voluptatis aut doloris presentibus. Ejus effatum erat: uti presentis, de futuro vel de præterito minime curare. Cyrenæici merito vocantur *ἡδονισταί*, voluptuosi.

2<sup>o</sup> Altera schola a Socrate orta, est *Secta megarica*, cujus fundator fuit *Euclides*, qui dialecticæ magis addictus, ceteras scholas adoriri potius conabatur quam particularem doctrinam in medium afferre. Unde Megarenenses constituebant veluti quendam scholam jurgiosam: qua de causa ἔργαστοι, seu jurgiosi, vocati sunt, qui alias nonnisi per quædam argumenta captiosa cognoscuntur.

3<sup>o</sup> *Schola eliaica*, *Phadone* duce, præcedenti valde affinis est quoad præcipuas doctrinas. *Menedemus* placita hujus scholæ in Eretriam, suam patriam, transtulit; inde eadem schola etiam ereτριαca appellari solet.

4<sup>o</sup> *Schola cynica*. — *Antisthenes* hujus scholæ fundator in philosophiam sophisticam imprimis incubuit, seu doctrinis Gorgiæ ab initio operam dedit. Sed postquam Socratem noverit, ei fideliter sese adstrinxit. Ad severitatem exaggerationemque naturaliter proclivis, in corripiendis moribus et commendanda virtute operam assidue contulit; at in hoc opere tanta acerbitate usus est ut fere ab omnibus habitus fuerit tanquam canis, semper ad latrandum et mordendum pronus: inde venit nomen scholæ *cynica*.

Totam hominis perfectionem collocabat in recto rationis usu, et propterea bellum acerbum indixit luxui et mollitiæ. Talis autem rigiditas plerosque ejus discipulos fugavit; *Diogenes* tamen illi constanter adstrictus mansit, qui inter cynicos fuit in tota antiquitate celeberrimus.

Cynicæ sectæ propago est Schola stoica, cujus conditor fuit *Zeno*, Cratetis discipulus (340 ante Christ.); hæc schola à porticu, græcè *στωα*, sic nuncupata, celeberrima evasit, atque omnibus hujusque numeratis socraticæ sectæ sucruis superstes vixit. Sapientiam definiunt Stoici scientiam rerum divinarum ac humanarum, atque in tres partes, nempe in physicam, logicam et moralem distribuunt. Duo agnoscebant principia hujus mundi: alterum efficiens, quod rationem et Deum appellabant; alterum patiens, seu materia.

III. PLATO ET ARISTOTELES. Sectæ hactenus enumeratæ fuerunt, ut minoris famæ, ita et brevioris ætatis. Quæ ex Socratis schola prodierunt multo celebriores academica et peripatetica evaserunt.

*Plato* omnes Socratis discipulos nominis fama et philosophiæ laude longissime antecellit, imo et omnes antiquitatis philosophos, excepto forsân Aristotele, ita ut ejus doctrina, etiam post lucem fulgentem revelationis, a patribus Ecclesiæ, Augustino præsertim, laudata sit, et partim acceptata, remotis tamen non paucis erroribus et absurditatibus quibus immixta erat.

Athenis autem docuit in horto qui Academia vocabatur; unde profuxit ipsum nomen quod Scholæ academicæ datum est. In suis omnibus disputationibus dialogi modum servabat; quique modus ad scholasticam formam argumentationis prope accedit.

Quoad ejus doctrinam præcipua puncta paucis referemus: in *Phadone*, animi immortalitem copiose probat, et simul suum errorem de præexistentia animarum (II, 133) profert; sed cardinem suæ philosophiæ posuit in contemplatione idearum seu mundi sensibilis exemplarium per se existentium.

Plato igitur docet ideas, præter realitatem quam in cognoscente habent, aliam existentiam propriam independentem ab omni subjecto cognoscente, habere (II, 248). Sunt substantiæ ab omnibus rebus materialibus, quibus tamen realitatem communicant, separatæ (1). Nonnulli in scriptis Platonis, qui cæteroquin clare loquitur de unitate Dei, quædam vestigia mysterii sanctissimæ Trinitatis ostendere ategerunt: e quidem de verbo divino loquitur; sed quomodo accipiat istum λόγος, nullo modo constat.

Ejus rationem scribendi inter prosam et poeticam, mediam esse jam Aristoteles notavit; et hæc dictio doctrinam reddit obscuram ambiguanque, ita ut differenter ejus mens queat determinari; inde etiam fit utin Platone, quidam ejus admiratores insignia pronuntiata inveniant, præsertim quoad partem psychologicam. Suas sententias Plato miris explicuit ambagibus, et ipse Aristoteles, ejus discipulus, arcana de ideis somnia magistri vocare ausus est *νεπεταξα*.

In turpissimos errores contra legem naturalem lapsus est; perversissimam morum doctrinam in quibusdam libris, præsertim in sua republica, inculcat, etsi alibi doceat illud solum esse bonum quod est honestum, virtutem per se esse eligendam, et finem scientiæ esse nos Deo ipsi, quoad homini possibile est, assimilare, etc.

*Aristoteles*. Natus est iste philosophus Stagiræ, Thraciæ urbe (385 ante Christ.). Medicinæ in primis operam contulit; deinde philosophiæ se dedit; ad Platonem ergo

(1) Aristoteles, S. Justinus et Tertullianus ita systema Platonis explicant,



venit, et viginti annos Academiam frequentavit. Adeo vero iudicii quo polebat, acumine et ingenii elegantia se Platonem commendavit, ut ab isto vocaretur mens scholæ. Nonnulli veteres à Diog. Laertio relati, tradunt ortas fuisse dissensiones inter Platonem et Aristotelem: tunc discipulus sophisticis questionibus et insidiis magistrum adoriebatur, ac demum ab illo sese segregavit et scholam particularem fundavit, quæ Lyceum vocata fuit, ex loco Athenarum ubi Stagirita docebat.

Prælectio seu præceptio matutina modo omnino scientifico tradebatur, atque versabatur circa questiones arduissimas. Vocabantur istæ disputationes *λογοι ακροματικαι*, sed pro initiatis et electis tantum. Disputationes vespertine, magis ad vulgi sensum accommodata, vocabantur *λογοι εἰσορευτικοι*, seu sermones ab omnibus audiendi. Ex hac duplici ratione docendi venit partitio librorum Aristotelis in *εἰσορευτικαὶ et ακροματικαὶ*.

Sicut Plato in synthesim et idealismum, ita Aristoteles in experientiam et analysim magis propendet.

Extant magni ingenii Aristotelis specimina, scripta ejus, quæ sunt vel *logici* argumenti, — ut categoriæ, de interpretatione nominum et verborum, analyticorum priorum et posteriorum libri, topicorum libri octo, de sophisticis elenchis; — vel *physici*, — ut physice auscultationis libri octo, de cælo libri quatuor, de generatione et corruptione libri duo, de meteoris libri quatuor, de anima libri tres, etc.; — vel *metaphysici et mathematici* generis, vel *ethicæ* doctrinam exponunt: — Ethicorum ad Nicomachum libri decem, magnarum moralium libri duo, etc.: vel denique Rhetoricam exhibent.

Aristoteles philosophiam distribuit in *theoreticam et practicam*: theoreticæ, quam dividit in *physicam et metaphysicam*, addit tanquam instrumentum *logicam*. Practicam partitur in *ethicam, politicam et economicam*. Cum ejus philosophandi ratio nihil aliud sit quam communis sensus ad severiorem doctrinam methodum redactus, à sapientissimis scholæ christianæ principibus plurimi facta sunt.

IV. PYRRHO et EPICURUS. Sub id temporis exortus est

etiam Pyrrhonismus, a conditore suo *Pyrrhone*, qui scepticismum absolutum, seu dubium universale, professus est: hæc secta dicitur etiam sceptica, *σκεπτικη*, eo quod semper inquirat et nihil unquam veniat. Alia etiam schola, non minus insolita et absurda, sed a sana etiam magis abhorrens, Epicuro auctore, (300 ante Christ.) subit, quæ finem hominis reponebat in voluptate, et animam esse corpoream et cum corpore interibilem docebat. Epicurus Athenis scholam aperuit discipulorum concursu frequentem, quæ et fama doctrinæ simul et infamia morum claruit.

Ex Socrate igitur multa exorte sunt scholæ plus minusve perfectæ ac durabiles. Præclariores et diuturniores ad quatuor revocari possunt, scilicet 1<sup>o</sup> ad academicam, 2<sup>o</sup> aristotelicam, 3<sup>o</sup> stoicam, tandem 4<sup>o</sup> epicuream.

#### II. Philosophia græco-romana,

Philosophia ex Græcia Romam migravit. Philosophi autem Romani non peculiare scholas instituerunt; sed sapientiæ Græcæ addicti, alii unam, alii alteram scholam ex quatuor superius enumeratis sectatis sunt.

1<sup>o</sup> Præstantissimum epicuream philosophiæ monumentum *Lucretii* carmen est, qui placita Epicuri elegantia puraque scribendi ratione exposuit; 2<sup>o</sup> in Stoicorum placitis exponendis eminent *Seneca* et *Epictetus*; 3<sup>o</sup> tandem in philosophia aristotelica simul et platonica, *Cicero* magis versatus, hæc disciplina splendide exornavit sermone peregranti quo adeo polebat. In morali doctrinæ Stoicæ addictus præsertim fuit, atque in ea magis delectabatur. Multa opera philosophica scripsit: questiones academicæ, de finibus bonorum et malorum, quinque libri questionum tusulanarum, de natura deorum, de divinatione, de fato, de senectute et de amicitia, paradoxa, de officiis, de Republica et de Legibus. Denique ad scholas Græco-Romanas revocari potest *Sextus Empiricus* (123 post Christ.), Græcens, — qui scepticismum ad formam scientificam redegit.

## SECTIO II.

DE PHILOSOPHIA POST ADVENTUM CHRISTI.

## TRANSITUS. — PHILOSOPHIA GRÆCO-ORIENTALIS.

I. Adhuc ergo agendum est de philosophia postquam a luce evangelicæ ad gradum longo perfectiorem evecta fuit, atque ab omnibus spurciis seu scoriis idololatriæ expurgata. Sed ad historiam sapientiæ græco-orientalis, pertinet narratio sectarum philosophiarum quæ tempore Christi apud Judæos vigebant. Temporibus enim antiquioribus Judæi erant custodes et interpretes divinarum revelationis, et exinde apud eos non viguit philosophia a theologia distincta.

Verum paulo ante Christi adventum, tres fuerunt sectæ præcipuæ in Judæa, nempe *Phariseorum*, *Sadduceorum* et *Essenorum*, quarum origines sunt obscuræ et fundatores ignoti. Pharisei, præter legem scriptam, admittebant quandam traditionem oralem a Moïse, ut aiebant, in monte Sinai, acceptam. Eorum vita externæ sanctitatis specie splendebat, ut plebis studium sibi acquirerent. Sadducæi, rejectis legibus et traditionibus omnibus scripto non comprehensis, solum Pontateuchum recipiebant, et negabant angelorum existentiam, animæ immortalitatem, corporum resurrectionem.

Esseni, saltem ii qui Therapeutarum nomine innotuerunt, quandam vitam perfectiorem ducebant, non multo diversam ab illa quam nunc gerunt instituta religiose ac monastica. De eorum doctrina nihil certi ac rati habetur.

II. Nunc a Judæis ad alios orientales convertimur, qui post Christi nati tempora philosophiæ operam contulerunt.

Verum, inter philosophiam ætatis antæactæ, seu mere ethnicam, et philosophiam vere et perfecte christianam, invenitur schola quedam intermedia, quæ *eclecticæ* aut *neoplatonicæ* vocatur. Hæc autem prima Schola alexandrina religionem catholicam sese diffundentem adoriri ac diruere conata est. Eius ratio philosophandi in eo erat ut omnes alias scholas ad unitatem redigeret; et quamvis contra religionem catholicam scriberet operam navasset,

tamen christianismo veluti imbuta jam apparet; unde omnium veterum scholarum vestigia deseruerunt philosophi alexandrini, et ad quoddam selectum inter varias disciplinas devenire contenderunt; sed eorum modus philosophandi, syncreticus potius quam eclecticus, eos ad absurdissimum mysticismum deduxit, quo tamen imitari conabantur verum mysticismum christianum.

*Potamon* huic scholæ initium dedit: de vita et tempore Potamonis nihil certi reperitur apud varios auctores qui de eo loquuntur; habetur ut Plotini magister, *Plotinus* (250 post C. N.) doctrinæ a Potamone tradite suas revelationes addidit, eamque suis fucatis portentis et miraculis exornavit.

Præstantiores itaque philosophi hujus scholæ sunt Plotinus, et post eum, *Porphyrus*, *Jamblicus*, qui inter suos discipulos Julianum Apostatam habuit, *Plutarchus* et *Proclus*, qui in eo tantummodo conveniebant quod impugnare volebant veterem philosophiam, atque omnia systemata ad aliquam doctrinam constantem uniformemque redigere. Talis autem doctrina, aliis omnibus emendatior, ut putabant, non tantummodo theoretice proponenda erat, sed etiam religionem quandam constituere debebat.

Præter hanc communem conspirationem in electiorem philosophiam, inter se veteres Neoplatonici circa alia puncta longe differebant, unus autem Platonismo, alter Stoicismo vel alii disciplinæ magis addictus. Hic ergo eclecticismus recto nomine syncretismus vocari debet, siquidem non raro vim doctrinis inferebant ut ex omnibus quoddam systema consarcinarent; ad gnosticismum (*γνῶσις*) ergo pervenit, qui fuit error valde implexus, et mysticismo sectarum orientalium et ex philosophia græca conflatus.

Hæc informis omnium errorum commixtura eo magis incrementa sumpsit, quo in Ægypto, maxime Alexandria, tot diversarum religionum hominibus scatente, omnis generis placita facilius recepta erant.

## PHILOSOPHIA CHRISTIANA.

Pervagati sumus brevi tractatione totum philosophiæ ethnicæ campum præsertim ante natum mundi Redemp-



tozem. Restat ergo ut historiæ philosophiæ partem enarremus quæ ejus actis inter Christianos constat. Religio christiana, quæ Deum ipsum auctorem habet, totius philosophiæ, etiamsi recte, limites longe supergressa, et lumine quo nititur, infinite præstans, super omnia philosophorum *æquaræ*, seu inventa, toto discrimine eminet quod reperitur inter ordinem supernaturalem et naturalem.

Philosophia christiana in triplicem epocham dividi debet: *prima* epocha sæcula complectitur ab ipso religionis christiænæ exordio usque ad medium ævum; *secunda* a media ætate se extendit usque ad hæc tempora in quibus acriter impugnata fuit philosophia scholastica, quæ autem tempora, et quidem vere si per antiphrasim, vocata fuerunt *innovationis philosophiæ*; *tertia* tandem epocha ab eversione scholasticæ per protestantismum et naturalismum usque ad hodierna tempora spatiat.

### § I. — *Ætas SS. Patrum Ecclesiæ.*

In principio proponebatur religio christiana ut doctrina omnino supernaturalis, quæ proinde omnimodam fidem exigebat; disputationibus humanis non subiecbatur, sed humiles, simplices et puri corde hæc sublimissam doctrinam consequantur, quæ sapientes sæculi et inani superbia inflatos transcendebat fugiebatque.

Sed deinde in decursu temporis postquam longe lateque divulgata fuerat, philosophorum calumniis et fallaciis, sicut et eruenta Imperatorum insectatione, fuit impugnata; sed doctores Ecclesiæ doctrinas et argutias ethniciæ philosophiæ retruserunt et omnes sophistarum impetibus propulerunt. Ex istis controversiis in lucem edita est philosophia christiana proprie dicta.

Venio igitur ad historiam philosophiæ christiænæ, quæ cum ipsa historia dogmatum intime conjungitur, ita ut complete tradi nequeat hæc historia quin simul in memoriam revocetur tota evolutio dogmatis per diversas ætates. Summa rerum fastigia sequemur, seu rem quam brevissime attingemus.

Patres Ecclesiæ vel soli et privatim philosophiam

christianam in suis scriptis tradiderunt, vel ad quadam scholas pertinerunt.

Patres generatim dividuntur in Latinos et Græcos:

I. Apud Latinos non inveniuntur scholæ proprie dictæ, sed Patres Latini privatim philosophati sunt: in primo et secundo sæculo Ecclesiæ eminent *S. Justinus*, et *Tatianus*, ejus discipulus, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Araobius* et *Lactantius*. In sæculo sequenti floruit *S. Ambrosius*, ejus discipulus, *S. Augustinus*, splendidissimo nituit ingenio, ac philosophiæ magnum incrementum præbuit. *S. Augustinum* recentiori ontologismo patrocinari clamitant nonnulli auctores nostræ ætatis, qui aliqua verba, a vero sensu detorta et a contextu abrupta, afferunt in confirmationem hujus affirmationis. At mens *S. Aug.* circa hæc questionem neminem latet qui diligenter ac rectis interpretandi criteriis adhibitis ejus scripta perlegerit; porro diligentiam in libris *S. Doctoris* evolvendis esse adhibendam, satis suadebat historia, quæ tot et tantas refert absurditates, imo et pessimos errores ab hæreticis, *Calvino*, *Luthero*, *Janseniano*, etc., ipsi *S. Augustino* attributos, quem intelligere aut noluerant aut non potuerunt. Hic affere textus ad probandum sinceritatem interpretationis *S. Thomæ* et *S. Bonaventuræ* (*II*, 293 nota) circa naturam et originem cognitionis humanæ nimis longum foret, ac librum integrum postularet (1).

Hæc autem epocha est celeberrima in historia philosophiæ. Innumeri exorti sunt viri præstantissimi, qui doctrinam sacram mirifice evoluerunt. Agmen vero istorum præclarissimorum ingeniorum a *Boetio*, *Cassiodoro* et *Vincentio Lirinensi* concluditur.

In sæculis sexto et septimo barbaries irrui in mundum, et fere ubique invaluit; exinde philosophia oblivioni aliquantulum tradita fuit.

II. In Oriente, ineunte sæculo secundo, philosophia summo splendore enituit. Etenim scholæ ecclesiæ a *Potamone*, *Plotino* et *Porphyrio* *Alexandriæ* fundate, alia scholæ vere ecclesiæ et longe perfectior suffecata est.

(1) Vide *Franzæi*. *Tract. de Deo uno*, XI<sup>a</sup>, pag. 134, seq. thes.

*Panthæus* enim huic scholæ exordium dedit, quæ a *Clemente Alexandrino*, *Origene*, *Athenagora* illustrata fuit.

*Ammonius Saccas* epocham terminat Neoplatonismi Alexandrini christianismo infensi; unde aliquando gymnasium christianum ordiri dicitur ab ipso Ammono, non autem a Panthæo. Ammonius, parentibus christianis natus, a vitæ genere, quod primitus sectatus fuerat, cognominatus Saccas, hoc est gerulus, Alexandria docuit sæculo secundo exeunte, atque inter suos discipulos Origenem annumeravit.

Præter hanc scholam Alexandrinam, quæ maximam famam obtinuit in universo orbe, eluxerunt in Oriente *S. Athanasius*, *S. Basilii*, *S. Gregorius Nyssenus*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *S. Joannes Chrysostomus* et multi alii Patres. Hanc epocham clausit *S. Joannes Damascenus*, qui communi consensu historicorum habetur ut parens philosophiæ scholasticæ. Ad formam enim dialecticam redegit theologiam supernaturalum.

## § II. — Etas Scholasticorum.

Barbarorum incurso irrequieto et ingravescente, philosophiæ studium aliquandiu delinuit; in cænobiiis tantum tunc temporis et quidem a paucis colebatur. Sed postea et tenetris emergens ad supremum fastigium evocata est; philosophia enim scholastica adeo claruit atque ad talem perfectionis apicem pervenit, ut a tali ævamine postea minime exererit.

Philosophia scholastica sic vocatur ex methodo quæ invaluit in scholis; hæc autem ratio philosophandi, omnino scientifica, magis accommodata est ad philosophiam docendam, quia strictior est ac dilucidior, stylo pressiori utitur, ordine strictissimo delectatur, et ad dialecticæ artis normam exegit suas expositiones.

Libri Aristotelis, a Mauris hispanis *Averroë* et *Arenapatio* in lucem educti atque in scholis generatim recepti, quoad hanc saltem partem quæ respicit methodum et dialecticam, nonnihil contulerunt ad scientiam philosophicam. Methodo igitur accuratiori et perfectiore instructi

totam vim ingenii, quæ pollebant magno cum profectu ad investigationem veritatis impenderunt philosophi christiani.

Maxima profunde scholasticorum in historia philosophiæ fama est atque celebritas: totum enim illud spatium temporis occupaverunt quod a sæculo octavo usque ad renatas litteras, ut dici solet, deluxit, omnemque suo sub imperio scientifico tenerunt orbem. Sed ante sæculum XI, pauci fuerunt philosophi et minoris famæ, inter quos recensere sufficiat *Alcinum*, *Robanum Mourum*, et *Seotum Erigenam* qui pantheismum excusavit.

Sæculum XI a duobus præstantissimis viris potissimum illustratur, scilicet a *Lanfranco* at *S. Anselmo*. Italus Lanfrancus, qui archiepiscopus Cantuariensis fuit, contra hæresiærum Berengarium, qui aliqua dogmata fidei christiani inficari ausus erat, strenue debellavit; et sic ex Berengarii aggressionem philosophia christiana nova luce coruscavit.

*S. Anselmus*, docti Lanfranci discipulus, et in sede Cantuariensi successor, multa edidit opera theologica et philosophica: summus itaque philosophus æque ac theologus extitit, qui errores hujus temporis profligavit, et fidem ad intellectum, seu ad scientiam, ovehero admisit est.

Eodem tempore, *Roscellinus*, canonicus Compendiæ, suum celeberrimum *nominalismum* vulgavit, adversus quem jam stetit *S. Anselmus*; huic errori *Guillelmus Campellanus*, Anselmi discipulus et celebris scholæ *S. Victoris*, prope Lutetiam, fundator, suum opposuit *realismum*. Denique, auctore *Abelardo*, exsurxit etiam *conceptualismus*. Circa hæc tria systemata facta est magna discessio scholarum, quæ mentes usque ad hodiernam tempora in varias partes distraxit (II, 245-248). Tandem *Petrus Lombardus*, sæculo XII, summam theologiam seu Librum Sententiarum edidit, in qua dogmata christiana, perfectissimis subtilibusque speculationibus philosophicis illustravit.

*Hugo à S. Victore*, canonicus regularis in abbata *S. Victoris* Lutetiæ, tempore Petri Lombardi floruit. Hi laudati theologi velut primam epocham constituunt philosophiæ scholasticæ. *Almaricus Carnutensis*, theologiæ



magister in Universitate Parisiensi, suam pantheismum tunc etiam edidit.

Sub *secunda epocha*, in summum perducta est philosophia scholastica. Temporibus illis floruerunt principes scholæ, nempe :

Sæculo XIII, *Alexander Avenis*, franciscanus, qui summam universæ theologiæ dedit, *Albertus Magnus*, qui de omnibus scientiis naturalibus magno cum plausu auditorum disseruit. Inter præclara sui temporis ingenia, Albertus merito locum obtinuit, et inter commentatores Aristotelis, quod ad dialecticam et metaphysicam pertinet, suæ ætatis reliquis, excepto tamen D. Thoma, præstitit. Istis conjungere oportet *Vincentium Bellocacensem*, ex ordine Predicatorum, qui in suo speculo doctrinali, naturali et historiali, veram encyclopediam edidit.

At præ omnibus scholasticis excelluit Doctor Angelicus : hoc autem cognomen accepit S. Thomas Aquinas ob incredibile et quasi divinum ingenium quo præditus erat. Igitur jure meritoque fuit nomen patris Doctor Angelicus, sive species miram ingenii facilitatem, sive scriptorum editorum copiam et perspicuitatem.

Præcipua ejus opera, præter commentarium in Magistrum Sententiarum, et splendidas enodationes in Scripturam sacram, recensentur Summa contra Gentiles, seu *Summa philosophica*, opus certo mirum et eximium, et *Summa theologica*.

Mirus in hoc ultimo præsertim opere elucet ordo, quo omnia apprime connectuntur ac evolvuntur, adeo ut aptissime arbori comparata fuerit, quæ crescit in ingentem altitudinem, se dilatat in ramos, ac frondibus et foliis mire convehit. Quantopere ejus scripta semper ab Ecclesia fuerunt commendata, facile cognoscere ex eo quod in concilio Tridentino Patres D. Thomam summam collocare voluerunt prope sacram Scripturam, quæ de more in publicis synodorum sessionibus affertur. Semper enim inimici veræ fidei maximo terrore fuit, quod candide fassus est Lutherus dum questus solitus contra Christi sponsum effundens, exclamavit : Tolle Thomam et dissipabo Ecclesiam!

Eodem tempore floruit *S. Bonaventura*, Franciscanus,

cognomine Doctor seraphicus, qui famæ celebritate, eruditionis et sanctitatis laude, nonnisi a S. Thoma, tunc temporis fuit superatus. Nonnulli auctores nostræ ætatis S. Bonaventuram habent, cum S. Augustino, ut faventem ontologismo, et vi illata quibusdam verbis a vera auctoritate detortis et deceptis ab operibus mysticis, ostendere conantur. Sed locus in quibus directe et ex professo questionem de qua agitur, exponit, caute prætermittunt, ut ad opera mystica confugiant, et quibusdam figuris et metaphoris, multiplici interpretationis capacibus, abutantur, quæ alias contemplationem supernaturalem, ope gratiæ peractam, spectant. Porro ut mens S. Bonaventuræ in perspicuum ponatur, sufficit monere : 1<sup>o</sup> Angelum, juxta doctorem seraphicum, *naturaliter* essentiam divinam non percipere sine *medio et creature adminiculo*, et illud adminiculum, quo Deum cognoscit, esse *effectus visibiles* (In lib. 11 Sent. D. III, p. 11, art. 11, q. 11. C. f. text. all. in Brev. 11, 293).

2<sup>o</sup> Docet Adamum, etiam in statu innocentie, Deum non cognovisse, « *eo genere cognitionis* quam expectamus in gloria... *sed mediante speculo*. » (In l. 11, Sent. D. XXIII, art. 11, q. 11).

3<sup>o</sup> Loquens directe et ex proposito de modo quo homo viator cognoscit : « Deus, inquit, qui est artifex et causa creature, *per ipsam* cognoscitur. Et ad hoc duplex est ratio : una est *propter convenientiam*, alia est *propter indigentiam*,... quia cum Deus, lux summe spiritualis, non possit cognosci in sua spiritualitate ab intellectu ; quasi *materiali luce* indiget anima ut cognoscat ipsum, scilicet *per creaturas*. (In lib. I, Sent. D. III, l. 1, q. 2)

*Joannes Duns Scotus*, Franciscanus, de ejus patria non concordant eruditi, ingenii acuminis et subtilitatis maximam famam obtinuit, et scholam particularem genuit, quæque ex antea dictis sufficienter innotescit.

Non defuere huic ætati alii scriptores mentis acuminis et eruditionis copia celebres, inter quos *Petrus Hispanus* (Joannes XXI), qui artis logicalis peritia inclaustruit, *Henricus Gandavensis*, doctor solemnis, *Rogerus Baco*, qui in scientiis naturales et mathematicas profundissime se penetravit. A tempore Scoti duas scholæ celeberrimæ Tho-

mistarum et Scotistarum nituerunt, inter quas non raro opinionum certamen erat. Sæculo XIV, *Agidius Colonna*, eremita Augustinianus, cognomine doctor fundatissimus, Romæ genitus ex illustri Columnensium genere, ipsiusque S. Thomæ discipulus atque in schola Thomistica floruit, et *Franciscus de Mayronis*, Gallus ordinis Minorum, doctor illuminatus, in Scotistica. Is tanta distinctionum fecunditate innotuit, ut etiam doctoris acuti et magistri abstractionum nomen consequeretur.

In sæculo XIV, disputationes inter nominalistas et realistas e cinere exsuscitatas sunt, instigatore *Occam*. Hic gente Anglus, Scoti scholæ juvenis se tradidit; sed postea contra ipsos Scotistas nominalismum acerrime propugnavit. Denique, arreptis Ludovici Bavari partibus contra Papam Joannem XXII, auctoritatem S. Pontificis impugnavit, qui anathemate eum percutit. Post eum *Joannes Buridanus* et *Petrus de Alliaco*. Episcopus Cameracensis, ac cardinalis, partibus nominalium adheserunt. Ex altera parte *Thomas de Bradwardine*, archiepiscopus Cantuariensis, et *Thomas de Argentina* realismum tuti sunt.

### § III. — Etas recentior.

Hæc ætas, uti diximus, a tempore hoc incipere debet, quo impugnata fuit, primum a protestantibus, deinde ab aliis, philosophia scholastica. Hæc autem impugnatio philosophiæ scholasticæ partim a vana perversaque innovandi cupidine atque a pravis propensionibus reformationis tunc Ecclesiæ bellum indicentis repetenda est, partim ex eo quod philosophia scholastica ex una parte experientiam et in altera artem dicendi profanorum scriptorum negligere visa fuerit, et facultates ordinis sensibilis, præsertim phantasiam, nimis sub vinculis habuisset. Speculationes enim mere rationales ac morales inferiorem hominis appetitum cum detrimento injuriæque partis superioris seu rationalis explere nequeunt; inde sicuti in homine facultates sensibiles contra rationem non raro pugnant, et caro concupiscit adversus spiritum: ita etiam in societatibus

accidit, que aliquando nimia cupiditate bonum sensibile prosequuntur, bono intelligibili ac supernaturali penitus neglecto.

Hinc insectationi causam occasionalem præberunt argutiæ et vana subtilitatis quibus ipsa sæculo xv a nonnullis aspersa fuit. In his enim speculationes logicæ et metaphysicæ plus æquo impegret que nonnisi contentionibus et velitationibus philosophicis constant; porro ejusmodi speculationes plus minusve mentes divertunt a fontibus cognitionum experimentalium, in quas tunc propendebant nonnulli auctores ingenio clarissimi.

I. *Schola Florentina*. Eo tempore (sæc. xv) in Italia philosophiam græcam in lucem prodixerunt *Georgius Pletho*, patria Byzantinus, et nonnulli Græci, qui concilio Florentino (ann. 1438) interfuerant: philosophiæ Platonis præsertim totus ille se dedit. Platonica philosophia, Plethonis studio, Florentiam introducta est, et a Medicea familia patrocinata: *Marcilius Ficinus* et *Picus Mirandolanus* hæc philosophiam exposuerunt. Cardinalis *Bessarion* moderatius Platoni adhaesit et Aristotelem minime contempsit: cum enim Græci de Platonis et Aristotelis philosophiâ acerrime disputarent, auctoritate et eruditione sua usus est, ut hæc potissimum controversiam amice dirimere tentaret; tamen *Georgio Trapezuntio*, vehementer Aristoteli faventi, se opposuit.

Pro Aristotele etiam acriter decertavit *Georgius Scholarius*, patria Constantinopolitanus; et, eodem fere tempore, *Petrus Pomponatius* (ineunte sæc. xv) peripatetica philosophiæ operam contulit (II, 124).

Istæ disputationes hoc emolumentum habuerunt quod lingua græca fuit melius cognita, et litteris atque elegantiori scribendi rationi diem reddiderunt, non tamen sine ipsius philosophiæ detrimento, quia auctores tunc emendatorem litteraturam fere unico quærebant appetebantque, seu vestimentum colabant, neglecta re ipsa indumento oranda: inde emersit quidam veluti paganismus in litteris et artibus. Schola Florentina non parvi contulit ad philosophiæ scholasticæ oblivionem.

II. At impugnatores scholasticæ in triplicem classem dividi possunt:



1<sup>o</sup> Alii contra scholasticam aliquid novitatis dumtaxat intulerunt; 2<sup>o</sup> alii eam aperto fronte adorti sunt; 3<sup>o</sup> alii tandem de possessione imperii eamdem deiecerunt et in oblivionem plus minusve adduxerunt.

A) Inter philosophos *primæ* classis enumerandi sunt 1<sup>o</sup> *Raymundus Lullius*, cognomine *doctor illuminatus*, cuius *logica mechanica* seu *ars magna*, omnes dialecticæ abusus practice ostendit, quia vanis subtilitatibus nimium usus est, et media empirica, plane inutilia, adhibet ad regulas omnium scientiarum memoria retinendas. Artis tamen hujus, cui plus ostentationis inest quam doctrine, eo tempore multos cepit admiratio; sed opus illud est merus imaginationis emotæ lusus.

2<sup>o</sup> *Laurentius Valla*, patricius romanus, non parcius et consideratius locutus est; stylo audax et acerbus omnia temere suggillabat, et exinde exilio mulctatus est. Iste præsertim eversionem scholasticæ præparavit; infensissimo enim animo in rationem dicendi scholasticorum, tanquam in eliminandam barbariem, insurrexit: contradicendi pruritu et verborum acerbitate, potius quam peritia in quavis disciplina incluruit.

B) Ad *secundam* classem pertinet 1<sup>o</sup> *Jordanus Brunus*, nolanus, qui prius dominicanus et deinde profugus, ad ignem demum damnatus fuit, ut hæreticus et apostata (ann. 1600). Erat enim fervidus fautor logicæ mechanicæ *Raymundi*, et pantheismum aperte docuit.

2<sup>o</sup> *Cardanus*, ex Pavia, astrologiæ judicialis vehementer propagator, de robur naturalibus, artificialibus et supernaturalibus multa volumina (10 v. in-f.) scripsit.

3<sup>o</sup> *Campanella*, calaber, monachus dominicanus, nulli disciplinæ ac præloato parens, atque suis excogitationibus periculosis et lubricis unice indulgens, multa deliramenta philosophica et politica edidit. Obiit anno 1679.

Inter eos etiam qui servitium scholæ, ut dicunt Rationalistæ, exuere conati sunt, commemorari etiam possunt *Bernardus Telesius*, neapolitanus, qui in novem suis libris *de natura rerum juxta propria principia*, tria rerum principia, materiam, calidum seu æstum et frigus admittebat, *Ramus*, *Paracelsus* et multi alii.

Verumtamen contra illos omnes impugnatores philosophiam christianam firme servarunt ac tuiti sunt scriptores qui Theologiæ et philosophiæ scholasticæ operam contulerunt, inter quos referre sufficit Greg. de *Valentia*, *Lesium*, *Card. d'Aquiro*, *Vasquesium*, *Suarez*, de *Lugo*, *Beccanum*, *Hurtado*, *Ferrariensem*, *Godetum*, *Salmanticensis*, *Prassen*, *Isambertum*, de *Rhodes*, *Gondinium*, *Pontium*, etc., ingenii acuminis et eruditionis copia præclarissimos. Inde a sæculo xviii ineunte philosophi et theologi in tres scholas principales partiri solent, scilicet in Thomistas, Scotistas et Molinistas.

De istis scholis ac de clarissimis theologis atque philosophis scholasticis supra enumeratis fuse agendum foret, etiam relictis omnibus depravatoribus veræ philosophiæ hæctenus recensitis et infra enumerandis. Re quidem vera nomine historiæ philosophiæ, inde a Bruckerio, Lutheri sectatore, religioni catholicæ ac proinde scholasticis infensissimo, non aliud plerumque venit quam narratus omnium errorum, imo veritatis suggillatio ac insanitatum laudatio.

Nos in hac ultima epocha potius *Exteros* enumeramus: namque sapientes laudibus christianorum digni aut satis innotescent ex dictis in ipsa expositione doctrinarum, aut ad historiam theologiæ maxime spectant, et ideo lectorem quoad scholasticos qui post conc. Tridentinum floruerunt, ad extremum opus « *Nomenclator litterarius*, etc. » clarissimi Harter remittimus.

C) *Tertia epocha*, quæ a Bacone incipit (sæc. XVII), vocari solet tempus liberationis scientiarum philosophicarum a servitute scholasticæ. *Baco* a *Verulamio* autem philosophiam ipsam à peripateticis subtilitatibus ac sordibus, ut aiebat, quæ illam, sequiori præsertim scholasticæ ætate, infecerant, expurgare sibi proposuit; ad hunc autem scopum attingendum non tantummodo rejectit omnes speculationes scholasticas ac omnia systemata a scholasticis excogitata, sed ultra progrediens, ipsam methodum scholasticam adori copit, atque ei aliam, quam accuratorem judicabat, sufficere voluit; rejecto ergo syllogismo eique succedente inductione, totam philosophiam ad analysim et experientiam revocavit, ac proinde a rationali

contemplatione universam philosophiam subducere conatus est, ut eam retro ad merum empirismum remitteret: scientiis physicis aliquid forsitan contulit, sed philosophiam proprie dictam depravare molitus est.

Ex suis ergo excogitationibus quendam librum confavit, cuius titulus est *novum organum*, seu novum instrumentum ad veritatem indagandam et prosequendam. Hic auctor obiit ann. 1636.

Viam autem a Verulamio patefactam diverse ac plus minusve efficaciter prosecuti sunt *Cartesius* in Gallia, *Lockius* in Anglia, et *Leibnitius* in Germania.

*Cartesius* celeberrimus est in historia philosophiæ quia illi generatim tribuitur eversio scholasticæ, ac proinde habetur ut philosophiæ recentis, scilicet rationalismi, parens. Disceptatio quadam instituta fuit inter nonnullos auctores ad verum doctrinæ cartesianæ sensum determinandum; alii enim illam in se spectatam ab omni labo erroris eximere volunt; alii autem Cartesium habent uti patrem omnium errorum hodierni rationalismi. Quid de hac re sentiendum diximus (I. 227). Cæteroquin suos fructus scilicet naturalismum et pantheismum produxit Cartesianismus, adnitente *Benedicto Spinoza*, Judæo Amstelodami nato, anno 1632 (II. 7). *Malebranchius* etiam et *Petrus Poiret* sua placita, Cartesianismo plus minusve faventia, tunc temporis protulerunt.

III. At brevi in oblivionem tradita est philosophia Cartesianæ, seu potius id quod in Cartesii placitis minus a veritate recedebat, Lockio philosophiæ campum maturo occupante, ob facilitatem humilitatemque doctrinam in se inanitatum stylo populari alias propositarum. Brevi ergo tempore invaluit materialismus et scepticismus Lockii, etiam contra profundiores *Leibnitii* et *Wolfii*, qui omnes scientias philosophicas complexi sunt, speculationes, quæ tunc temporis extra Germaniam vix migrare poterunt. Eodem tempore in Germania scripsit *Christianus Thomasius*, Lipsiæ natus, qui Hugonis Grotii, Samuelis Puffendorffii et Thomæ Hobbesii vestigiis insistens, philosophiæ practicæ præsertim, irritò labore, insudavit.

Sed Lockii doctrinæ, quæ ad scepticismum inclinabat,

proximæ, etsi oppositæ, conclusiones cito eductæ fuerunt, et proinde emergerunt idealismus per *Berkeley*, hibernum, vulgaris et propagatus, nec non scepticismus, ab *Humio*, Edimburgæ nato, in lucem eductus. Prior ut Lockii empirismum everteret, mundo corporeo omnem realitatem objectivam negavit; alter ex placitis lockianis, ita eundem empirismum amplificavit, ut cognitioni humane quæcumque objectivam certitudinem inficiatus sit. Paulo ante, *Sammel Clarcius* et *Franciscus Hutcheson*, angli, etiam empirismum plus minusve fovērunt.

Præterea in Gallia, sæc. XVIII, opere et nisu *Condillachii*, sensismum prodit, scilicet doctrina quæ totam hominis cognitionem ad sensationem revocat, ita ut omnes idææ nihil aliud sint quam sensationes transformata. Juxta Condillachium, intellectio ipsa est quædam sensatio transformata, quapropter hic auctor in pessimum empirismum impedit. Mirum ergo non est, si ejus discipuli *Helvetius*, *Cabanis* et alii hujus furfuris homines, ad perfectum materialismum devenerunt: hanc gregalem turbam insanorum scriptorum hinc inde aberrantium oratione obire plus quam inutile est. Hæc autem doctrina ipsam Italianam sua pravitate plus minusve infecit.

Sed istæ ineptiæ, quæ diu in admiratione fuerunt, tandem in suspitionem adduci cœperunt, schola Scotica præsertim conatibus, auspice et duce *Thoma Reid*, Scotia oriendò (anno 1710), ejusque discipulo *Dugald-Stewart*. Hæc autem secta suscipit patrociniū communis sensus naturæ, et propterea dimicavit contra scepticismum Humii. Tentavit etiam postea accuratorem analysin omnium animæ facultatum; sed hæc analysis, nimis empirica, Sensistarum errorem redolet. Reid igitur admisit, ut principium inconcussum et certum, infallibilitatem sensus communis, saltem quoad judicia primitiva, quorum numerum non determinat (1,241). Hoc principio fretus migravit ad observationem omnium factorum et legum psychologicarum, quæ ex talibus factis innotescent. Igitur schola scotica ad psychologiam incubuit; sed ad fidem cæcæm reduxit certitudinem humanam (II, 220).

Denique nostræ ætate in Germania exorta est alia secta philosophica præcedenti longe perniciosior, duce *Emma-*



nuele Kant, qui operam impendit non tam objecto cognitionis quam instrumento quo utimur in cognoscendo. Kantius autem in primis determinare conatus est limites quibus circumscribi debet usus legitimus rationis; illud autem studium circa hunc usum vocat *criticam rationis puræ*. Cum totum systema versetur circa facta intellectualia et quasdam leges totum mundum sensibilem et aspectabilem transcendentia, qui, juxta Kantium, est tantum apparens, non autem realis (mundus enim realis nobis est incognitus), doctrina Kantii vocata fuit *idealismus transcendentis*. Hæc vero doctrina in pantheismum, cuius germina continet, brevi delapsa est, et omnes fructus suos celeriter protulit; nam a Kantii tempestate insanire cœpit turba ejus discipulorum. Præcipua ejus opera sunt, 1º *critices rationis puræ*, 2º *critices rationis practicæ* et 3º *critices judicii*.

Præcipui Kantii discipuli *Fichte*, *Schelling*, *Hegel* doctrinam magistri ad ultimas conclusiones deduxerunt, licet in diversas partes dilapsi; eorum distorta somnia superius satis retulimus. *Hermesius*, *Günter* et alii hæc perversa ineptaque figmenta dogmatibus revelatis applicare conati sunt, dogmata ipsa somniis kantianis subjicientes, ac proinde plus minusve pervertentes ut philosophia et «scientia» germanica intemperate servetur ac in celum laudibus efferatur. Non expedit hic referre nomina eorum qui mentes in Gallia depravare nisi sunt invectione istarum absurditatum, quique alias non sunt nisi plagiarum ac interpretum.

Hanc philosophiam impugnarunt multi scriptores catholici, quorum nonnulli, dum sanam doctrinam propugnare visi sunt, a veritate ipsa plus minusve descriverunt: ita Lamennais, Bautain, etc.

Ontologismus, Kantismi sureulus, et Traditionalismus olim a quibusdam auctoribus, Gioberto, Rosminio, Ubaghis, de Bonald, Ventura, etc., in lucem, ut *nova philosophia christiana*, educti, jam de medio remouentur, etiam in Gallia.

Imo his ultimis diebus, facta est vera et proprie dicta philosophiæ *restauratio* per reversionem ad sapientiam scholasticam. Viri doctrina et scientia præclari ut Libe-

ratore, Sanseverinus, Kleutgen, etc., quibus Balmes suo modo viam aperuit, in eo laborant ut totius traditionis ecclesiasticæ, et speciatim S. Thomæ, doctrinam in medium proficerent, ac philosophiam omnibus Ecclesiæ decretis candidè subjicerent, seu ancillam theologiæ reddant. Illi omnes S. Thomam tanquam magistrum et ducem habent; sed alii, inter quas Sanseverinus, scholæ Thomisticæ adiecti sunt; alii vero, ut Liberatore, Kleutgen, non sunt Thomistæ, licet discipuli Doctoris Angelici.

At, quod mirum sane est, scientiarum naturalium cultores, saltem acrioris judicii, recondidione factæ rerum indagatione, jam præsentium ac veluti olfaciunt philosophiæ scholasticæ veritatem; et inde discidium inter scientias experimentales et disciplinas rationales, Baconis nisi ac molimine effectum, et ab ejus asseclis magno verborum strepitu celebratum, jam evanescere incipit, saltem apud illos qui doctrinæ catholicæ non sunt osores; ipsa methodus inductiva per naturæ sensibilis arcanorum indagationem detexit falsitatem systematum scholasticæ sapientiæ suffectorum quæ ad absurdum usque deduxit. Itaque dum philosophia ad veritatem revelatam rediit ac sanam majorum traditionem sequitur, suum dominium in omnes scientias naturales recuperare incipit: imo et veram unitatem nancisci sumit.

Nunc ergo unice remanet illud spectaculum pugnæ acerrimæ inter veterem illam ac indeficientem sapientiam christianam et speciatim philosophiam scholasticam ex una parte, et osores ipsius veritatis ex altera: contra pravas doctrinas, tam speculativas quam practicas quas summus Pontifex Pius IX in syllabo profigavit, speciatim contra materialismum et liberalismum, ut aiunt, longe puriorum belli hodie est. Verum contra voluntates pravas et malo errorique firmatas, potius quam contra mentis obscuritatem ac ignorantiam, pugnare nimium sæpe habent catholici.